



Magnum Bullarium Romanum, Seu Ejusdem Continuatio

Quæ Supplementi loco sit, tum huicce, tum aliis quæ præcesserunt
Editionibus, Romanæ, & Lugdunensi ...

Ab Alexandro VII. Ad Clementem X.

Luxemburgi, MDCCXLII.

Appendix. Clemens IX.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74833](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-74833)

APPENDIX. CLEMENS IX.

I. Indulgentia Plenaria perpetua in Ecclesiis Fratrum, & Monialium S. Francisci pro festo Sancti Petri de Alcantara.

CLEMENS PAPA IX.

Ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.



EXEMPTORIS, & Domini nostri Jesu Christi, qui gloriosos saluberrimorum, quæ Nobis reliquit, exemplorum festatores altis decoravit honoribus, & cælestis beatitudinis consortes effecit, vices, licet immeriti gerentes in terris,

spiritualium munerum thesauros, quorum Nobis credita est dispensatio, libenter erogamus sicut ad excitandam, & fovendam erga eosdem Beatos cæli incolas fidelium devotionem salubriter expedire in Domino arbitramur.

Memoria canonizationis S. Petri de Alcantara.

§. 1. Cum itaque Nos nuper ad honorem Sanctissimæ, & individuae Trinitatis, ad exaltationem Catholicæ fidei, & Christianæ religionis incrementum, de Venerabilium Fratrum Nostrorum S. R. E. Cardinalium, ac Patriarcharum, Archiepiscoporum, & Episcoporum in alma Urbe nostra tunc existentium consilio B. Petrum de Alcantara strictioris Observantiæ professorem Ordinis Fratrum Minorum Sancti Francisci, auctoritate Nobis à Domino tradita Sanctum esse decreverimus, & definiverimus, illumque Sanctorum Catalogo solemniter adscripsimus.

Indulgentia pro Conventibus, & Ecclesiis Franciscanæ Religionis.

§. 2. Hinc est quod Nos ad augendam fidelium religionem, & animarum salutem cælestibus Ecclesiæ thesauris pia charitate intenti, ac de omnipotentis Dei misericordia, & Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum ejus auctoritate confisi, omnibus, & singulis utriusque sexus Christianis fidelibus verè pœnitentibus & confessis, ac sacra communione refectis, qui aliquam ex Ecclesiis Fratrum Minorum de Observantiæ ac Reformatorum, Discalceatorum, & Recollectorum, necnon Conventualium, & Cappuccinorum nuncupatorum, ac Monialium Ordinis S. Francisci tam hætenus erectis, quam imposteriorum quomodocumque in generis & ubique locorum existentibus die festo ejusdem S. Petri de Alcantara, nempe die 19. mensis Octobris à primis Vesperis usque ad occasum solis festi hujusmodi annis singulis devotè visitaverint, & ibi pro Christianorum Principum concordia, hæresum extirpatione, ac sanctæ Matris Ecclesiæ exaltatione pias ad Deum preces effuderint, plenariam omnium peccatorum suorum Indulgentiam, & remissionem misericorditer in Domino concedimus. Præsentibus perpetuis futuris temporibus valiturus.

Perpetuis futuris temporibus.

§. 3. Volumus autem, ut ipsarum præsentium Litterarum transumptis seu exemplis etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in Ecclesiastica dignitate constitutæ munitis, eadem prorsus fides habeatur, quæ haberetur præsentibus si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorum sub Annulo Piscatoris die 2. Octob. 1669. Pontificatus Nostri Anno Tertio.

Reintegratio Congregationis Clericorum Pauperum Matris Dei Scholarum Piarum ad statum Religionis, ac ad fruitionem Privilegiorum Ordinibus Mendicantibus concessorum.

II.

CLEMENS PAPA IX.

Ad perpetuam rei memoriam.

EX inuncto Nobis divinitus Apostolica servitutis munere Congregationes virosum in Ecclesia Dei piè, prudenterque institutas, eas præsertim, quæ pueris non solum Litterarum rudimentis, sed etiam pietate, moribusque Christianis maturè imbuendis laudabiliter incumbunt, peculiari favore prosequimur, illarumque felici statui, & prosperis progressibus, quantum Nobis ex alto conceditur, consulere studemus, sicut omnibus matura consideratione perpensis ad Omnipotentis Dei gloriam, ac Religionis, bonorumque operum incrementum arbitramur in Domino salubriter expedire.

Confirmatio super rebus solemnibus votis à Greg. XV.

§. 1. Dudum siquidem cum pro parte tunc existentis Præfecti Generalis Congregationis Clericorum Pauperum Matris Dei Scholarum Piarum prius auctoritate Apostolica erectæ fel. rec. Gregorio PP. XV. Prædecessori nostro expositum fuisset, quod Clerici ejusdem Congregationis, quia tria simplicia paupertatis scilicet, castitatis & obedientiæ vota emittebant, perfectioris vitæ studio ducti, simplicia vota hujusmodi solemniter declarari cupiebant, & tunc existentes S. R. E. Cardinales negotiis Episcoporum & Regularium præpositi, quibus dictus Gregorius Prædecessor negotium hujusmodi maturè examinandum, sibi que referendum commiserat, prædictam Congregationem in Religionem trium votorum solemniter approbati posse censuissent, prout in Decreto desuper factò dicebatur contineri: Idem Gregorius Prædecessor Decretum prædictum Apostolica auctoritate confirmavit, & approbavit. Et subindè ipse Gregorius Prædecessor Congregationi prædictæ, illiusque Ministro, & Clericis, aliisque personis, ut omnibus, & singulis privilegiis, immunitatibus, libertatibus, facultatibus, exemptionibus, aliisque gratiis, & indulgentiis, tam spiritualibus, quam temporalibus Ordinibus Mendicantium, illorumque Superioribus, professoribus, necnon Ecclesiis, Monasteriis, & Regularibus locis, etiam per viam communicationis, vel extensionis, aut alias quomodolibet per quoscumque Romanos Pontifices dicti Gregorii Prædecessores, ipsumque Gregorium Prædecessorem quomodolibet concessis, & quibus ipsi, necnon Ecclesiæ, Monasteria, & Regularia loca hujusmodi, de jure, usu, consuetudine, privilegio, aut concessione Apostolica in genere, vel in specie, ac tam conjunctam, quam divisim, seu alias quomodolibet utebantur, fruebantur, & gaudebant, ac uti, frui, & gaudere poterant, & possent quomodolibet in futurum, dummodo tamen essent in usu, & non

essent revocata, aut sub aliquibus revocationibus comprehensa, nec sacris Canonibus, & Concilii Tridentini Decretis, aut Constitutionibus Apostolicis repugnarent, pari modo non solum ad eorum instar, sed pariformiter, & aequè principaliter perindè, ac si nominatim, & in specie illis concessa fuissent, uti, frui, & gaudere liberè, & licitè valerent, dicta auctoritate perpetuò concessit, & indulgit, dictaque privilegia, immunitates, libertates, facultates, exemptiones, gratias, & indulta eis communicavit, illaque ad eos extendit.

Reductio Innocentii X.

§. 2. Verum postmodum rec. memor. Innocentius Papa X. pariter Prædecessor Noster, Congregationem, sive Religionem prædictam in Congregationem similem Instituto Congregationis Oratorii in Ecclesia Sanctæ Mariæ in Vallicella de Urbe erectæ Sancti Philippi Nerii nuncupatæ absque ulla votorum emissionem regendam, dirigendam, & gubernandam sub certis modo, & forma tunc expressis redegit, & reduxit.

Secularizatio Alex. VII.

§. 3. Et successivè piæ mem. Alexander Papa VII. etiam Prædecessor Noster reductionem eorundem Clericorum à statu Regulari ad statum Secularem sub eadem denominatione Clericorum Pauperum Matris Dei Scholarum Piarum approbavit, & confirmavit, & quatenus opus esset de novo Congregationem hujusmodi ad statum Secularem sub denominatione prædicta reduxit; cum diversis statutis, ordinationibus, indultis, declarationibus, & decretis, & inter alia, quod quicumque in eadem Congregationem Secularem, tunc, & pro tempore quomodocumque recepti, tria vota simplicia, nempe Castitatis, Paupertatis, & Obedientiæ cum juramento in eadem Congregatione perpetuò permanendi suo tempore emitteere deberent, itaut cum ipsis super votis, & juramento hujusmodi, nisi per Romanum Pontificem pro tempore existentem dispensari, aut illa commutari, vel relaxari respectivè nullatenus etiam prætextu, vel vigore quarumcumque facultatum, etiam Cruciatæ Sanctæ, vel Jubilei universalis possent, sub pœnis apostasiæ in casum contraventionis.

Quædam præpositi Gener.

§. 4. Ac demum idem Alexander Prædecessor controversias in dicta Congregatione Seculari exortas dirimere, & bonum ipsius Congregationis promovere cupiens, statuit, & decrevit, ut Præpositus Generalis memoratæ Congregationis, & quatuor Assistentes, tam in Capitulo generali tunc novissimè celebrato electi, quam deinceps in perpetuum eligendi durare deberent ad sexennium tantum; Ipsique Assistentes votum haberent decisivum cum eodem Præposito generali in electionibus, deputationibus, ac mutationibus quorumcumque Superiorum; Item in causis, & sententiis criminalibus, necnon in quibuscumque aliis actibus, qui ex Constitutionibus ejusdem Congregationis, vel Decretis Capitulorum generalium fieri, seu expediri deberent à Præposito generali, & Assistentibus. In reliquis verò iidem Assistentes votum haberent consultivum, & Præpositus Generalis, quoad ejus fieri posset eorum consilium sequeretur ad præscriptum Constitutionis ipsius Congregationis, & una omnes cum Præposito generali residerent in Domo Sancti Pantaleonis de Urbe.

Instituta laudantur, & approbantur.

§. 5. Præterea inviolatè servari præcepit laudabile dictæ Congregationis Institutum præcipuè in usu associandi pauperes pueros ad eorum domos; deferendi habitum qualitatis, & formæ à prædictis Constitutionibus præscriptæ, incedendi pedibus discalceatis; recipiendi ad

Scholas pueros aptos ad prima elementa, adhibendi lectulos ad formulam dictarum Constitutionum, denominandi personas ejusdem Congregationis non ex cognomine gentilitio, sed ex nomine alicujus Sancti, ac demum servandi etiam in itinere paupertatem, quam operarii hujus instituti proficuntur; In cæteris vero servari jussit antiquas Constitutiones Congregationis hujusmodi, cum omnibus gratis, indultis, & privilegiis à Sede Apostolica eidem concessis, in iis tamen quæ aptarentur, & congruerent statui Congregationis Secularis, & his statutis, atque decretis non adversarentur, & aliàs prout in binis Gregorii die 18. Novembris 1621. & die 15. Octobris 1622. ac una Innocentii die 16. Martii 1646. nec non itidem binis Alexandri Prædecessorum prædictorum die 24. Januarii 1656. & die 28. Aprilis 1660. respectivè expeditis in simili forma Brevis Litteris, quarum tenores præsentibus plenè, & sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis haberi volumus, uberius continetur.

Litteræ Apostolicæ.

§. 6. Cum autem sicut Dilecti Filii Præpositus Generalis, & alii Superiores dictæ Congregationis Secularis Clericorum Pauperum Matris Dei Scholarum Piarum Nobis Nuper exponi fecerunt, ipsi eandem Congregationem, quo majori perfectione in via Domini de cætero ambulare, ac in laudabili suo instituto constantius perseverare valeat, ad statum regularem & titulum Religionis cum emissionem trium votorum solemnium quemadmodum à memorato Gregorio Prædecessore, ut præfertur constituta fuerat, nec non ad fruitionem omnium, & singulorum privilegiorum, immunitatum, facultatum, exemptionum, aliarumque gratiarum, & indultorum Ordinibus Mendicantibus concessorum, quæ eidem Congregationi à dicto Gregorio Prædecessore per posteriores Suas Litteras præfatas communicata fuerunt, restitui, & reintegrari, ac ultimo dictarum Alexandri Prædecessoris Litterarum observantiam, circa tempus durationis Præpositi Generalis in officio, assistentium auctoritatem, usum associandi pauperes pueros ad eorum domos, habitus qualitatem, & formam, aliaque omnia per easdem Litteras, statuta, & decreta firmius constabili summopere desiderent.

§. 7. Nos prospero felicique ejusdem Congregationis statui, & progressui, quantum cum Domino possumus salubriter providere, dictoque exponentes specialibus favoribus, & gratis prosequi volentes, & eorum singulares personas à quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis à jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis si quibus quomodolibet innodatæ existunt ad effectum præsentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, & absolutas fore censentes, supplicationibus, eorum nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinatis, de Venerabilium Fratrum Nostrorum S. R. E. prædictæ Cardinalium negotiis, & consultationibus Episcoporum & Regularium præpositorum, qui rem maturè discussissent, consilio, eandem Congregationem Secularem Clericorum pauperum Matris Dei Scholarum Piarum ad Statum regularem, & titulum Religionis, cum emissionem trium votorum solemnium, ac ad fruitionem omnium, & singulorum privilegiorum, immunitatum, facultatum, exemptionum, aliarumque gratiarum, & indultorum ordinibus mendicantibus quomodolibet concessorum hujusmodi in omnibus, & per omnia ad limites supradictarum binarum Gregorii Prædecessoris Litterarum, &

juxta

Reductio ad
statum Regu-
larem cum
tribus votis.

juxtà illarum seriem, dispositionem, & tenorem auctoritate Apostolica tenore præsentium reducimur, restituumus, & reintegramus.

§. 8. Præterea ultimo dictas Alexandri Prædecessoris Literas die 28. Aprilis 1660. expeditas cum omnibus, & singulis in eis contentis inviolabiliter, & inconcussè observari auctoritate & tenore præsentis præcipimus, & mandamus. Decernentes easdem præsentis Literas semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suoque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac illis, ad quos spectat, & pro tempore quodcumque spectabit in omnibus, & per omnia plenissimè suffragari; sicque in præmissis per quoscumque Judices ordinarios, & delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores judicari, & definiti debere, ac irritum, & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

§. 9. Non obstantibus prædictis Innocentii, & Alexandri Prædecessorum Literis, aliisque Constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, ac quatenus opus sit dictæ Congregationis, aliisque

quibusvis etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel alia quavis firmitate roboratis statutis, & consuetudinibus; privilegiis quoque, indultis, & Literis Apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis.

§. 10. Quibus omnibus, & singulis illorum tenores præsentibus pro plene, & sufficienter expressis, & ad verbum insertis habentes illis aliàs in suo robore permanens ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, & expressè derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque. Volumus autem, ut ipsarum præsentium Literarum transumptis, seu exemplis etiam impressis manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in Ecclesiastica dignitate constitutæ munitis eadem prorsus fides in judicio, & extra adhibeatur, quæ præsentibus ipsis adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die 23. Octobris 1669. Pontificatus Nostri anno tertio.

